Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars secunda - Cod. Aug. perg. 23

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Capitulum LXXVIII

urn:nbn:de:bsz:31-41582

Visual Library

conatu ad illam gloriam tendere non cesses
ubi semper in conspectu dei cum cum tam
nobili multitudine in laudibus perseveres
O alme fili dei patris qui foribus
clausis apparuisti discipulis in uno
congregatis obstrue queso claustra sensu
um meorum interiorum et exteriorum contra peri
cula temptationum sancto timore concucie
tue mortifica in eis omnia mala cum vin
culo tue caritatis deliga et illumina e
os cum lumine religionis divine ut merear
tua leta visitatione consolari pacem quoque
pectoris in presenti et eternitatis in futuro te
donante valeam invenire ubi cum angel
is omnibus sanctis et electis tuis te laudare
merear sine fine Amen R Quomodo
dns apparuit discipulis thoma presente

A[illegible]mente autem octavo die
rursus iterum apparuit dns
ihesus discipulis suis.
Nam quia non malitia
sed ignorantia thomas dubitavit noluit
pius magister tam dilectum discipulum in infideli
tate relinquere sed ad fidem eius informandam
iterum dignatus est apparere Legitur cum in predicto
monte syon iterum essent discipuli intus et
thomas cum eis pastor bonus et de pusil
lo grege sollicitus venit ianuis clausis et
stetit in medio eorum ut posset videri ab omnibus
et dixit illis pax vobis Stetit in medio
et dixit pax vobis Nusquam potest esse pax in col
legio nisi prelatus sit in medio ita quod non plus
ad partem unam inclinetur quam ad aliam Co
lumpna nusquam sustinet edificium si sit ad par
tem iuxta pariete et non in medio Omnia
elementa preter terram moventur quia non sunt
in medio terra autem immobilis est quia in
centro est et in medio Rex dominus pacem
discipulis nunciat et commendat ac persuadet
habere quia sine pace impossibile est deo pla
cere In eis enim qui pacem et concordiam dili
gunt habitat deus quia factus est in pace

locus eius Pacem veniens attulit et hinc abi
ens pacem reliquit quia tota perfectio christiane
vite et religionis in pace et dilectione consistit
Cum magna ergo diligentia debemus eam
inquirere et studiose observare Unde gregorius
nazazenus vel nyssenus Videat ergo nos
pacis munus deserere quam nobis hinc
discedens xpc reliquit Pax et res et nomen
dulce quam et dei esse accepimus iuxta illud
Pax dei et eius esse deum iuxta illud Deus
et pacem esse deum iuxta illud ipse est pax
nostra Res bonum commendatum ab omnibus
observatum autem a paucis Que autem est causa
conturbasse ambitio dominii aut faculta
tum aut livor aut odium aut contemptus
aut aliquid huiusmodi ex hiis que dei igna
ros videmus incurrere Deinde dicit
thome qui respondens petitionem eius suppo
site Infer digitum tuum huc et vide manus
meas non quod in digito sit visus sed quasi diceret
tange hoc et experire Unde videre hoc
loco pro sentire et intelligere ponitur quod
genus locutionis adeo usitatum est ut per
omnes sensus currere videatur Dicit enim dicimus
Audi et vide quod modulate cantat olfac et
vide quod suave redolet gusta et vide quam le
ve sit gusta et vide quod dulce sit Unde in
Exodo Cunctus populus videbat voces id est
sentiebat Visus ergo propter sui excellentiam
pro omni sensu accipitur Unde sanctus augustinus nomine
visus generaliter alii quatuor sensus consue
verunt nominari Immo etiam aliquando intel
lectum accipimus ut cum aliquem dicimus vides tu
hoc id est intelligis Vel simpliciter dici potest
quod ihesus ad verba thome respondit in quo
etiam suam deitatem declarat in quantum ab
sens corporaliter eius verba sciebat Tho
mas enim duplici sensu scilicet visu et tactu cer
tificari volens dixerat Nisi videro in ma
nibus eius fixuram clavorum et mittam di
gitum meum in locum clavorum et manum meam
in latus eius non credam Ihesus vero

qui respondens dicit et infer digitum tuum huc
scilicet in locum clauorum et vide manus meas
perforatas et clauorum figuras Deinde
subiungit et affer manum tuam et mitte
in latus meum lancea perforatum et cog-
nosce me illum eundem esse qui pepen-
dit in cruce Magnum certe fuit vulnus
illud sacratissimum lateris in quo non di-
gitum sed manum mittere debebat Iustie
per digitum significatur discretio per manus
opus in manu Ponet ergo et digitum et ma-
num in locum clauorum et lancee innotescere
ut quicquid in nobis est discretionis et operis
in seruicium christi expendamus Unde subdit
Et noli esse incredulus hoc est ad creden-
dum tardus sed fidelis hoc est fide firmus
quia in peccato infidelitatis me tamen cruci-
fixus tamen mee iterans passionis Hoc dixit
ihesus quia thomas dixerat discipulis re-
christi nunciantibus se aliter non crediturum
Sicut ergo thomas pre ceteris dubitauit
ita pre ceteris palpare et videre monetur
Ubi Criso Tu vero cum videris decrede-
tem discipulum cognita dominatoris cle-
mentia qualiter et pro vna anima ostendit
seipsum vulnera habentem et accedit ut sal-
uet vnum Non autem statim et apparet sed
post dies octo ut in medio a discipulis
admonitus attendat ad maius deside-
rium et fidelior fieret in futurum Tunc
thomas cicatrices domini tetigit et non
solum corde credendo sed etiam ore confitendo
quia utrumque ad salutem requiritur exclamans
dixit Dominus meus et deus meus quasi
tu es dominus meus secundum humanitatem in qua
me sanguine tuo redemisti et copasti et
deus meus secundum diuinitatem qua me cre-
asti et de limo formasti Iam nichil du-
bito certus sum confirmo rationem per dictam
immortalitate Tu es deus meus et ma-
gister meus ego seruus tuus et filius an-
cille tue Tu es denique deus meus qui

me creasti et pro me carnem suscepisti qui
ut me redimeres morti tradidisti et
ut me tecum resuscitares nunc a morte re-
surrexisti Hec est fides mea ita sentio et
ita credo O felix thoma qui felicem habuit
licenciam manus tua magna quippe licencia
et magna gratia est mittere manum in latus
illud sacratissimum et dulcissimum in latus
illud saluberrimum in latus mox unde ab
ira saluamur vnde a culpa sanamur vnde in
gratia gignamur vnde in gloria sublimamur
Ipse ergo thomas qui dicitur didimus propter
dubitatorem in credendo quia didimus grece
geminus est latine hic etiam dicitur abissus
quia altitudinem diuinitatis certa fide pe-
netrauit Quantam autem eminenciam
fides habeat manifestatur cum subditur Dicit
ei ihesus beatificando confessionem ipsius Quia
vidisti me thoma id est quia expertus es e-
tiam per tactum ideo credidisti beati qui
non viderunt et crediderunt In hoc versiculo
non solum fides thome commendatur sed etiam nostra
salus futura predicitur ac si diceret dominus
Tu quidem beatus es quia enim vidisti me
credidisti sed illi beati erunt qui non videntes
me corpore credituri sunt mente Ubi sum-
mus Preteriti temporis usus est verbis pro
certitudine tamquam ille qui quod erat futurum
in sua nouerat predestinatione iam factum
quia apud eius presenciam omnia futura pre-
terita sunt Sed aliud thomas vidit et pal-
pauit corpore et aliud credidit corde quia
fides saltem quo ad actum non potest esse de
visis et apparentibus Nam fides est argu-
mentum id est ostensio non apparencium Argu-
ere enim antiqui dicebant ostensio hominis
namque seu humanitatem vidit et tetigit
et deum seu deitatem que in presenti videri
non potest credidit Dicendo enim dominus
meus humanam naturam cui datum est totius
creature dominium Dicendo vero deus
meus diuinam que omnia condidit

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

confessus est et vnu eundem deum et do-
minum vnde theophi. Qui prius infidelis fu-
erat post lateris tactu optime se theologu
ostendit Nam duplicem natura vnitam que p
post dasum xpi consseruit Nos ergo conso-
lando subiungit Beati qui non viderunt
et crediderunt vnde greg. letificat aute
valde quod sequitur beati qui non viderunt
et crediderunt In qua sententia nos specialiter
signati sumus qui eum quem carne non vidi-
mus mente retinemus si tamen fidem nostram operibus
sequimur Ille enim vere credit qui exercet o-
perando quod credit hec greg. De hiis autem
qui fidem nomine tenus retinent Paulus dicit
Confitentur se deum nosse factis aut ne-
gant Et Jacobus. fides sine operibus mor-
tua est Cum ergo ut dicit Crisos. mihi isto
tempore dixerit vtinam in temporibus illis fuissem
et vidissem xpm miracula facientem eum
cogitet. beati qui non viderunt et credi-
derunt Potuit autem esse quod post confessionem
quam dixit Dominus meus et deus meus.
dominus ihesus insufflans dixit Accipite spiritum
sanctum quorum remiseritis peccata et cetera. licet
hoc non dicat ewangelista quia multa fecit
ihesus que non sunt scripta in libro hoc
vel ipse qui virtutem suam non alligauit sa-
cramentis potuit sine signo sensibili da-
re spiritum sanctum et conferre ei potestatem
et ordinem episcopalem Nam credendum
est quod eum sicut alios episcopum ordinauit
Attende hic quod xpc thome apparuit qui
in errore fuit in quo magna xpi pietas
ostenditur qui propter vnum solum venit vnde
Criso. Considera dominatoris clemenciam
qualiter eciam pro vna anima ostendit seipsum
vulnera habentem et accedit ut saluet vnu
Hoc autem de thome dubitacione dispen-
sacione permissum est ut euidencioribus ar-
gumentis resurrectio domini probaretur Ideo enim du-
bitatum est ab illo ne dubitetur a nobis vn-
de greg. non casu sed diuine pietatis

dispensacione gestum est ut ille electus dis-
cipulus tunc deesset qui audita resurrectione du-
bitaret dubitans palparet et palpans
crederet ut a nostris cordibus omne dubitacionem
expelleret et dum in magistro suo vulnera
palparet infidelitatis Plus enim in nobis
incredulitas thome quam aliorum credulitas ad
fidem profuit quia dum [illegible] ille ad fi-
dem palpando reducitur [illegible] mens nostra omni
dubitacione postposita in fide solidatur Et non
solum nostram fidem roborauit sed eciam heret-
icorum errorem dicencium verum corpus ihesum
non habuisse exclusit vnde et leo papa Suf-
fecit thome ad fidem propriam vidisse quod
viderat sed nobis operatus est ut tangeret
quod videbat vnde et greg. de ipsius tho-
me et aliorum eciam discipulorum dubitacione
sic dicit Ad resurrectionem domini discipuli tarde
crediderunt nam tam illorum infirmitas quam
nostra ut ita dicam firmitas fuit Ipsa namque
resurrectio illis dubitantibus per multa argumen-
ta monstrata est que dum nos legentes
agnoscimus quid aliud quam de eorum dubita-
cione solidamur Minus enim michi maria mag-
dalena prestitit que cicius credidit quam tho-
mas qui diu dubitauit Ille etenim vulnerum
cicatrices tetigit et de nostro pectore dubieta-
tis vulnus amputauit hec greg. Dispen-
sacionis autem gracia non ex curandi impotencia
dominus qui mortis regna destruxit signa
mortis delere noluit sed pluribus de causis
vestigia passionis scilicet cicatrices vulnerum
in corpore suo incorruptibili reseruauit
Primo ad astruendam et probandam re-
surrectionem ac confirmandam et corroborandam
discipulorum fidem de sua resurrectione dubiam ut
crederent quod ipse qui crucifixus fuit in eodem
corpore suo resurrexit In eo enim quod vulnera
ostendebat manifestabat quod idem resurrexo
erat qui in cruce pependerat vnde luc.
Videte manus meas et pedes meos quia
ergo ipse sum Secundo ad concedendam ei

circa nos dilectorem ut qui misericordie si-
mus adepti ostensis sue mortis indiciis
insinuet nosque ad dilectorem rependendam
magis provocet unde in apoc. Qui
dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in
sanguine suo Tertio ad ostendendam nostram
redemptorem quia illa vulnera fuerunt nostre
redemptionis . . . omnibus signum Unde ysaias
Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras
Ideo quia misericordias domini cantare non
cessent si dicant qui redempti sunt a do-
mino quoniam bonus quoniam in seculum miseri-
cordia eius Quarto propter nostram edificationem
et instructionem Si enim in corpore christi glori-
oso etiam manebunt signa sue passionis
et nos qui compatiendo eadem vulnera con-
tinue in mente portare et pro eis gratias
agere debemus Unde apostolus Hoc sentite in
nobis quod et in christo ihesu Quinto propter
nostri recordationem et memoriam apud se semper
retinendam Nequaquam enim nostri oblivisci-
tur pro quibus sic crudeliter plagatus dino-
scitur Unde in ysa. Ego tui non obliviscar
ecce in manibus meis descripsi te Sex-
to propter dei patris reconciliationem ut deus pa-
ter monstrat humano generi pro quo filius
sic voluit plagari Unde apostolus Advocatum
habemus apud patrem ihesum christum iustum
et ipse est propiciatio pro peccatis Nam
patri pro nobis supplicat obedientiam
representans et quale genus mortis per-
tulerit semper ostendens. quod est qui-
dam modus intervenendi pro nobis Unde
bern. Securum accessum habes o homo
ad deum ubi habes filium ante patrem matrem
ante filium Filius ostendit patri latus et
vulnera mater ostendit filio pectus et ubera
nec ulla poterit ibi esse repulsa ubi tot
caritatis occurrunt insignia Septimo
ad impiorum confusionem ut ostensis eis i-
udicio vulneribus denunciet quod iuste
dampnari debeant Unde secundum aug. co-

vincens eos de precio sue mortis dicet Ec-
ce hominem quem crucifixistis videtis vul-
nera que inflixistis agnoscitis latus quod
pupugistis quoniam per vos apertum est nec
intrare voluistis Octavo ad electorum ex-
ultationem dum in deo suo insignia amoris
precipui quem ad eos habuit videbunt
Nam secundum bedam magnum gaudium erit
sanctis videre vulnera in carne crucifi-
xi per que victor triumphavit de mor-
te et salvavit electos Veniens ergo do-
minus ad iudicium in eadem forma om-
nibus apparebit scilicet iustis et iniustis ut iu-
sti videntes quanta et qualia pro eis su-
stinuit in eius amore amplius exardes-
cant et in laude ac gratiarum actione proficiant
iniusti vero deterius puniantur confundantur
et pereant quanto magis tantis beneficiis in-
grati extiterunt et largiora beneficia dei
indignius contempserunt Nono ut trium-
phum seu titulum triumphalem et signum
victorie sue eminentem ostendat et in
perpetuum circumferat que cum victorem
dyaboli per infinita secula demonstrent
Verbi gratia miles pro totius gentis salu-
te fortiter egit et multis vulneribus per-
fossus est hostem tamen interfecit eius
quia spolia diripuit et victoriam sue genti
reportavit Sic ille medicus vos sanat
sine omni cicatrice vel cum cicatricibus
sine omni deformitate Puto quod insigne
sue victorie et pro quo etiam alios ad se
reservabit sibi cicatrices Ille enim cicatrices
sunt christo non in deformitatem sed in magnam
pulchritudinem Unde dicit Criso. Que ci-
catrices in christo super radio solis sunt luci-
diores Unde etiam secundum aug. in illo regno
apparebit in corporibus beatorum martirum
cicatrices vulnerum que pro christi nomine
pertulerunt sicut stella in celo sicut
lapis preciosus in anulo sicut flos in sti-
pite et sicut rubeus color in rosa) Io

em deformitas in eis sed dignitas erit et quedam species in corpore non corporis sed virtutis pulchritudo fulgebit Nec ideo tamen si aliquibus martiribus amputata et ablata sunt membra sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum sed ubi membra ut preciderentur percussa sunt vel secta ibi cicatrices sed tamen eisdem membris redditis non perditis apparebunt ¶ Conspice nunc dominum et considera solitam ipsius benignitatem humilitate et amore feruore quo videlicet monstrat thome et aliis discipulis vulnera ut tollat omnem obscuritatem de cordibus eorum ad ipsorum et nostram vtilitatem ¶ Stat ipse cum eis per aliquam morulam loquens de regno dei consolatoria. Stat et ipsi cum eo in letitia magna audientes illa verba excelsa et aspicientes faciem eius pleno gaudio ac decore et gratia ¶ Attende bene eos familiariter circa eum stantes ¶ Sta et tu reuerenter et verecunde si gaudens, a longe tamen si forte mens motus faciat te vocari licet immeritum ¶ Tandem dicit eis quod in galileam vadant et quod ibi eis apparebit sicut promiserat ¶ Et benedictione data discessit ab eis ipsi vero remanserunt ut prius de ipso famelici et stabundi sed plurimum confortati

Domine ihesu xpe qui thome dubitanti locum clauorum et lancee ostendisti et eum per digiti et manus immissionem ab errore reuocasti da michi ut tuorum vulnerum et passionis semper habens memoriam digitum et manum hoc est quidquid discretionis et operis in me fuit totum in seruicium tuum mittam et expendam et cum thoma confitear quia tu es dominus meus qui me sanguine tuo conparasti et deus meus qui me creasti ut quod te credentium saluti futurum et prodiuisti in me merear experiri et te largiente beatus apud te inueniri amen

Quomodo dns apparuit septem discipulis ad mare tiberiadis lxxxv capitulum

Postea facto interuallo temporis manifestauit se iterum ihesus ad mare tiberiadis i. se visibilem prebuit et hoc etiam modo dicitur apparare quod idem est quod manifestari nam secundum ambro. illud apparet in cuius potestate est videri et non videri ¶ Piscabantur simul septem discipuli nocte quadam ut album habent scilicet petrus et thomas et nathanael qui ut creditur frater philippi erat et filii zebedei scilicet iacobus et iohannes et alii duo quorum nomina non exprimuntur quia secundum quosdam erant minores vel secundum quosdam videntur fuisse philippus et andreas ¶ Et piscabantur in naui aliena eis accomodata vel locata seu alio modo licite accepta quia a principio sue conuersionis reliquerant naues et retia ¶ Piscabantur autem licite quia secundum augustinum non fuerunt prohibiti ex arte sua licita et concessa victum necessarium querere seruata sui apostolatus integritate si quando vnde viuerent aliud non haberent ¶ Sicut quod et paulus scenofactoriam artem didicit ut cum necessitatis vel ecclesie vtilitas occurreret de labore suo viueret ¶ Et secundum gregorium negocium quod ante conuersionem sine peccato extitit hoc etiam post conuersionem repetere culpa non fuit quod autem ad peccatum implicat ad hoc necesse est ut post conuersionem animus non redeat ¶ Unde post conuersionem suam ad piscationem petrus rediit matheus vero ad theloneum non resedit ¶ Et per totam noctem illam hii septem discipuli in vanum laborauerunt et nichil de piscibus ceperunt quia diuinum auxilium deerat cuius carentia nobis data presertim hoc ideo factum est ut captio sequens manifeste miraculosa appareret ¶ Mane autem facto per quod intelligitur gloria resurrectionis dominus ihesus apparuit eis stans in littore maris Non